

Data est XVII. Kal. Martii, anno ab incarnatione domini millesimo nonagesimo V.,
indictione XV., anno autem domini Heinrici, regni quidem XLII., imperii vero XII.
Actum est Bernae in Christi nomine feliciter amen.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit aufgedrücktem wohlhaltenem Siegel.
Köhler cod. dipl. Lus. I. Anh. S. 24.

No. 40. (1107 — 1108.)

*Erzbischof Adelgot von Magdeburg und dessen Suffraganen, unter ihnen B. Herwig von Meissen
und die weltlichen Herren Ostsachsens fordern mehrere geistliche und weltliche Herren Niedersachsens,
Westfalens etc. zum Zuzug auf gegen die heidnischen Slawen.*

Adelgorius¹⁾ dei gratia Magadaburgensis archiepiscopus, Albinus Merseburgensis, Walerannus²⁾ Nuenburgensis, Herewigus Misnensis, Hecil Havelbergensis, Harthrath Brandenburgensis (episcopi), Otto comes, Ludovicus et universi orientalis Saxoniae majores et minores, Reginhardo venerabili episcopo Halberstetensi, Erkamberto Corbeiensi abbati, Heinrico Paderbrunnensi, N. Mindensi (episcopis), Friderico archiepiscopo Coloniensi, N. Aquensi, O. Leodiensi, G. Lutaringorum duci, Ruotberto gloriosissimo Flandringensium comiti, Lamberto archidiacono, Buricholdo circumspectissimo praeposito, et Tanchrado³⁾ insigni philosopho et omnibus Christi fidelibus, episcopis, abbatibus, monachis, eremitis, reclusis, praepositis, canonicis, clericis, principibus, militibus, ministerialibus, clientibus, omnibusque maioribus et minoribus dilectionem, orationem et in id ipsum salutem. Multimodis paganorum oppressionibus et calamitatibus diutissime oppressi ad vestram suspiramus misericordiam, quatenus ecclesiae matris vestrae nobiscum sublevetis ruinam. Insurrexerunt in nos et praevahuerunt crudelissimi gentiles, viri absque misericordia, et de inhumanitatis suae gloriantes malitia ecclesias Christi idolatria prophanaverunt, altaria demoliti sunt, et quod humana mens refugit audire, ipsi non abhorrent in nos perpetrare. In nostram regionem saepissime efferantur nullique parcentes rapiunt, caedunt, fundunt et exquisitis tormentis affligunt, quosdam decollant et capita daemoniis suis immolant. De quibusdam visceribus extractis manus abscissas et pedes alligant, ubi est, inquit, deus eorum? Quosdam in patibulo sublatos permittunt ad maiores cruciatus omni morte miserabiliorem vitam pertrahere⁴⁾, cum vivi aspiciant se per abscissionem singulorum membrorum mortificari, et ad ultimum caeso ventre miserabiliter eviscerari. Quam plures vivos excoriant et cute capitis abstracta, hoc modo larvati in Christianorum fines erumpunt, et se Christianos mentientes praedas impune abigunt. Phanatici autem illorum, quotiens comensationibus vacare libet, feros in dictis capita, inquit, vult noster Pripegala^{a)}. Huiusmodi fieri oportet sacrificia. Pripegala, ut ajunt, Priapus est et Beelphegor impudicus. Tunc decollatis ante prophanationis suae aras Christianis et horrendis vocibus ululantes: agamus, inquit, dies laetitiae, victus est Christus,

1) Richtiger *Adelgotus* oder *Adelgotius* 2) *Waleramus* 3) *Tangmaro* 4) *protrahere*.

a) Pripegal, Beiname des Ziwy oder Siwa, des Gottes des irdischen Lebens bei den Slawen, ist die Personification oder das Symbol des Zeugungsprincips (Priapus). Vgl. Hanusch *Wiss. d. slaw. Mythus* S. 125. A. Jungmann in d. *Zeitschr. Krok II.* S. 368.